



Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvum Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisque Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvum Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

16 Ordinatus sacris sine titulo, quando est suspensus, & quando ab Episcopo alendus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

debet tamen ordines Minores cum conditione resumere, si & qua tenus antea non sint suscepti; arg. c. 2. de baptis. & c. Solemnitates, de consecr. dist. 1. & argu. cap. quanto, de consuetud. & collatio beneficii facta illi, antequam sacris ordinibus ab episcopo ordinaretur, nulla fuit & inualida, cum collatarius fuerit laicus, & laici beneficii ecclesiastici incapaces sunt, cap. ex literis, de transact. & ca. cum adpo, de rescript.

DECISIO XII.

Ex consil. 10. alias 2.

12 **O**rdinatus rite ad Minores ordines in vno loco, & postea locum mutans, & episcopo loci tribus annis seruiens, ab eodem episcopo, vel ab alio, virtute dimissorialium ab eo illi concessarum, ad ordines sacros promoveri potest; ita Concil. Trid. sess. 23. cap. 9. de ref. cum per huiusmodi mansionem videatur quassisse domicilium, & eiusdem episcopi subditus effectus. l. ciues, C. de incol. lib. 10. & c. cum nulla, de temp. ord. in 6.

DECISIO XIII.

Ex consil. 11. alias 3.

13 **F**ilius, qui natus, & educatus in vna diocesi, ad diocesim vbi pater habitat, & domicilium habet, venit animo perpetuo cum eo habitandi, & post annum missus est causa studendi ad ciuitatem, vbi natus erat, & post aliquot annos reuersus, ab episcopo, vbi pater habitat, legitime ad ordines promoveri potest: quia filius pubes cum esset, qui sibi domicilium eligere potest, placet, cum l. seq. ad municipalem. adiuuit domum patris animo perpetuo ibi viuendi, & diu ibi mansit, & quamuis postea alibi studuerit, ibique multis annis degerit, semper tamen animum habuit redeundi domum, & ad ciuitatem vbi pater domicilium obtinuit, & proinde idem cum patre domicilium habuisse censendus est. l. 1. & 2. C. de incol. lib. 10. Et quilibet laicus sine licentia episcopi, non solum quoad temporalia, nihil, & l. incola, ff. ad municip. sed etiam quoad spiritualia, domicilium de vno episcopatu ad alium transferre potest, c. si. de paroch.

DECISIO XIV.

Ex consil. 11. alias 4. de Sacram. non iterand. in Nouis.

14 **P**rima tonsura non est proprie ordo, prout testantur Doctores, in 4. d. 24. nec ad suam essentiam requirit, vt eam assumens dicat illa verba *Dominus pars hereditatis meae* &c. sed satis est, vt Episcopus ea faciat, quae suscipientem a populo laico segregat, & clero aggreget, & ea insignitus est medius quidam inter vtrumque, vt est Cathecumenus inter baptizatum, & baptizari volentem, & nouitius inter omnino secularem, & religiosum; profectum. Ita Sotus, 4. d. 24. q. 1. ar. 1. & Nau. in Man. c. 22. nu. 18.

DECISIO XV.

Ex consil. 13. alias 18.

15 **A**ccipiens iustum patrimonium a patre, vt ordine sacros accipiat, quod multo tempore possidet, sed antequam se ordinari faciat, obligat se ad soluendam certam pecuniam alteri, si postea cum dimissorijs literis Ordinatij ad titulum donationis praefati patrimonij dati omnes ordines suscipiat; nec suspensionem aliquam incurrit, nec celebrando irregularis efficitur; nec Episcopum decipisse censetur, quia verum titulum ei ostendit, & satis est ordinando, quod habeat patrimonium sufficiens ad se honeste sustentandum, nec requiritur; quod non debeat aliquid creditoribus, maxime cum praefata pecunia deberi coeperat post patrimonium quassitum, de quo nec debuit, nec potuit solui ex Concil. Trid. sess. 25. c. 2. de reform. & ita tacite promissa censetur sub conditione tacita, si post ordinationem habuerit vnde soluat: Nam patrimonium illud ante ordinationem peti non poterat, quia donatum ei fuit a patre ad causam ordinationis faciendae; l. 1. & 2. C. de don. qua sub modo fiunt, nec post ordinationem, si non fuerit adeptus beneficium, vel aliud aequipollens, patri-

monij illud ad ordinandum sibi donatum alienare, renunciare, aut vendere potest, ita Conc. Trid. vbi supra.

DECISIO XVI.

Ex consil. 14. in antiquis, & Nouis.

16 **O**rdinatus sacris ordinibus sine patrimonio, vel titulo iusto beneficii ecclesiastico, vel pensione sufficienti ad honestam sui sustentationem, ipso iure suspensus est c. neminem, & c. Sanctorum. d. 70. & episcopus sciens, vel scire debens talem ordinans ordinatum alere tenetur, c. cum secundum, de praebend. & ordinatus Sacris cum pensione, vel patrimonio, pensionem illam, vel patrimonium postea donare, vel renunciare sine licentia episcopi non potest, & aliter facta donatio, vel renunciatio inualida, & nulla censetur, ita Concil. Trident. sess. 21. c. 2. d. reform.

DECISIO XVI.

Ex consil. 15. in vtriusque.

17 **L**egitimè proutis de beneficio ecclesiastico, ad cuius titulum antequam illius possessionem adipisci potest, a seculari potestate, vel aliunde impeditur, bona fide, & cum legitimis literis dimissorijs, ac Papae dispensatione ad omnes, etiam sacros, & presbyteratus ordines, extra tempora a Catholico antistite promoveri se faciens, nec suspensionem, nec irregularitatem in foro interiori, aut exteriori incurrit; eo quod iura antiqua c. Neminem, cap. Sanctorum, d. 70. c. cum secundis, de praeb. c. per tuas, 3. de simon. de eo solum loquuntur, qui absolute, hoc est, sine titulo & patrimonio, vel subreptitiae per parimoniam, vel mendacium ordinatur non autem de habente titulum & beneficium, & ius in eo quassitum sine possessione ab alio iniuste detenta & ius nouum Concilij Tridentini sess. 21. c. 2. de ref. solum innouat poenas antiquis iuribus impositas, de nouo statuens ius pacificae possessionis; ob cuius tamen defectum sicut nec iura antiqua suspensionis poenam imponunt; ita neque ius nouum, cum solum poenas antiquas quoad hoc innouet.

DECISIO XVIII.

Ex consil. 16. alias 21.

18 **S**ubdiaconus sine beneficio ad titulum patrimonij ordinatus, & illud in fauorem parentum, vel aliorum renuncians, si postea se ad ordines superiores ordinari faciat ab ordinario, cui facta fuerit fides, de titulo patrimonij, cum ad Subdiaconatum ordinaretur, qui ignorabat praedictam renunciationem, & celebret; licet sic renunciando, & ordines superiores assumendo peccet, & ab ordinario poena extraordinaria puniri possit, nullam tamen censuram, aut irregularitatem incurrit; non solum quia iuste possit quis iure antiquo, cap. episcopus, cap. tuus, de praeb. & nouo, Concil. Trident. sess. 21. cap. 2. de reform. ad titulum patrimonij ordinari, si id visum fuerit episcopo; sed etiam quia renunciatio illa sine licentia episcopi facta nulla fuit, & proinde sic ordinatus presbyter non caruit titulo illo, impedimentum autem non praestat, quod iure non sortitur effectum capit. Non praestat, de regulis iuris in sexto, vnde sicut si renunciatio illa facta non fuisset, ordinatio fuisset iusta; ita etiam & illa facta talis erit, eo quod renunciatio illa nulla est: praesertim cum lex penalis, qualis est lex suspendens ordinatum sine titulo, Extrau. Cum ex sacrorum. extra casum proprium extendenda non sit, c. poena. de poenit. dist. 1. ad illum scilicet qui vere titulum habet, & inuaidè renunciando non perdidit illum.

DECISIO XIX.

Ex consil. 17. alias 6. de Sacramentis non iterand. in Nouis.

19 **A**ccedens cum intentione ad ordines accipiendos, & antequam eos accipit, habet scrupulos volendi & nolendi accipere illos, licet in partem affirmatiuam potius
B incli-